Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

STIFTS BIBLIOTHEK
LILIENFELD

Incipit epistola beato Ieronimo a beatis episcopis Chromatio et Eliodoro missa.

DOMINO SANCTO FRATRI Hieronimo. Chromatius et Eliodorus episcopi in domino salutem. Cum religiosissimus augustus Theodosius Mediolanensium urbem fuisset ingressus, universos episcopos Ytalie ad se invitaret, et causa aliquantorum episcoporum qui ex arriana fece suas animas inquinassent perquireret, contigit et nostram parvitatem in eodem devenire concilio. In quo cum dicenda dicta essent et definienda finita, cepit christianissimus princeps sanctum Gregorium episcopum Cordubensis ecclesie in eo preferre antistitem, quod dominico die sive ieiunans matutinas, sive non ieiunans vespertinas explicans missas, eorum martirum quorum natalicia essent plurimorum nomina memoraret. Factum est ut omnes pariter statueremus ad tuam scribere caritatem, quod ut famosissimos feriales de archivis sancti Eusebii Cesarie Palestineque sacerdotis inquirens martirum ad nos dirigas festa, ut possimus hoc officium per tuam sanctam industriam melius perfectique dei martyribus exhibere.

Rescriptum beati Ieronimi

CHROMATIO et Eliodoro perfectis episcopis sanctis episcopis Hieronimus presbyter. Constat dominum nostrum omni die martyrum suorum triumphos excipere, quorum passiones a sancto Eusebio Cesariensi episcopo scriptas repperimus. Nam Constantinus augustus cum Cesaream fuisset ingressus, et diceret memorato antistiti ut peteret aliqua beneficia Cesariensi ecclesie profutura, legitur respondisse Eusebium, opibus suis ditatam ecclesiam nulla petendi beneficia necessitate compelli, sed tamen desiderium inmobile extitisse, ut quicquid in re publica romana gestum sit erga sanctos dei, iudices iudicibus succedentes in universo orbe romano sollicita perscrutatione monimenta publica discutiendo perquirerent, et qui martyrium, a quo iudice, in qua provintia vel civitate, qua die, quave passione perseverantie sue obtinerent palmam, de ipsis archivis sublata ipsi Eusebio regio iussu dirigerent. Unde factum est ut ydoneus existens et ecclesiasticam hystoriam retexeret, et omnium pene martyrum provintiarum omnium romanorum diligens hystoriographus declararet. Et quo omni die sacrificium deo offerentes eorum nomina meminissent, studentes qui die ipsa qua offertur sacrificium victores diaboli extitissent, et martirii sui triumpho pollentes atque ovantes ad regem suum pervenirent Christum. Hac de causa singulorum mensium singulorumque dierum festa conscripsimus, ut iubere dignabamini, perhennem nostre parvitatis memoriam fore credentes, cum diebus omnibus per tot annorum spacia festa sanctorum fuerint nominumque festivitates celebrate, et quo per singulos dies diversarum urbium plusquam octingentorum et nongentorum milia martirum nomina sunt notata, ut nullus dies sit qui non intra quingentorum numerum reperiri possit adscriptus, excepto die kalendarum ianuarii. Considerans vero innumerabiles turbas lectoris animum inter unum mensem posse lacessere, ne idem eveniat, succincte ac breviter eorum qui sunt in amplissima festivitate in suis locis tantum pronominibus memorati sunt, ut amputato fastidio unus de omnibus sufficiat libellus adscriptus.

NON ad hoc negotium mei ingenii fiducia trahor, nec fretus eloquio ad distinguendas sanctorum civitates prosilio, ne cum multa sint pauca referens vituperium magis quam laudem assumam. Qui etiam si pro sanctorum eloquentie auctor existerem, non solum facundia nichil ornarem, sed materie mole succumberem. Verum quia caterve me amor provocat, vester affectus trahit. Certo enim habeo fratres animari conatus nostros eorum meritis quorum vitam narrantes veneramur. Ita quoque castis moribus emulandum honorem, ut quod in ipsis nostris virtutibus deest, in patrum gloria prodesse videatur. Sed quamvis tepentis sit ingenuitas sermonis, exordium faciamus.